

Y 2
1668





Aug. 1668

Ye
1668

CELSA. NON. CELSA.



WEISSENFELS
S A.

SUB. MODERAMINE.

CHRISTIANI. BICCII.

P. P.

DICENTE. ET. VALEDICENTE.

IN. AUGUSTO.

AUGUSTEO.

AD. D. XI. NOVEMBR.

A. O. R. M. DC. LXXVIII.



CHRISTIANO. FRIDERICO. VOCKELIO.
WEISSENF. MISN.

WEISSENFELSÆ.

Literis. JOHANNIS. BRÜHLII. August. Typogr.



DEO,
PATRIÆ

Et

PATRI PATRIÆ,

Reverendissimo ac Serenissimo Principi ac Domino,

DNO.



UGUSTO,

Primate Germaniæ, Duci Saxonie, Julie, Clivie
ac Montium, Landgravio Thuringie, Marchioni
Misnie, & utriusq; Lusatie, Comiti in Marca,
Ravensburgo, & Barby, Dynastæ in
Ravenstein,

Domino meo Clementissimo,

Fœtum hunc ingenii in Patriæ decus genitum
Clementissime tollendum,
devotissime
Dat, dicat, dedicat.

Christianus Fridericus Vockelius,
Weissenfelsa Misn.



*Viri Ordinum omnium Honoratissimi, Tuq; Commili-
tum Caterva amantissima.*



Um multæ variæq; dentur viæ, quibus summa claritudo paratur, siquidem & bello & pace clarum fieri licet, tum hoc ego præcipuum è latebris vulgi emergendi remedium esse puto, si quis pro patriæ gloria & salute tuendâ fortiter laborat. Versari etiamnum in ore omnium laudes trigeminorum Romanorum Horatorum, totidemq; Curiatorû Albanorum audio, suo sanguine pacem Romanis & Albanis restituentium. Aras Carthaginenses consecrasse lego fratribus Philænis, quos vivos sepultos seq; vitamq; suam Reip. condonasse, pacem inter Carthaginenses & Cyrenenses conciliasse simul didici. Celebrari adhuc Horatium Coclitem, Cloeliam, & Mutium, Romana illa prodigia atq; miracula audio; Laudari Decios, Scipiones, deprædicari Cottam & Catonem scio, qui ob patriæ salutem inimicitias suscipere graves, & mortem oppetere non dubitarunt. Memorari adhuc novi matrem illam Lacænam, filium, qui desertâ acie fugâ abierat, necantem, increparum prius iners germen, ignavum catulum, indignum Spartâ, quod pro patria mori recusavit. Neque etiam sua laude defraudatos eos novi, qui ad patriæ decus augendum & propagandum omnes ingenii sui vires & nervos contulere, & si non bipenne, ast pennâ gloriam ejus, ubi ubi occasio data, defensum & celebratum ivere, seq; eo ipso immortalitati consecravere. Lateret, credite mihi, Viri, Livius, ignotus nobis foret. Florus, Salustius, Tacitus, Maro, sexcenti historici & Poëtæ Romani alii, nisi suâ crenâ & venâ de patria benè meruissent, ejusq; laudibus laudes simul suas dilataissent & ad nos propagassent. Et verò quid, quæso, Majores nostros priscos Germanos obscuros fecit in tantum, ut prorsus à nobis ignorentur, nisi inopia scriptorum, qui facta, mores & indolem eorum chartis commendassent? Cùm exotici scriptores partim Germaniæ quædam ignorantia, partim invidiâ & contemptu, facta majorum nostrorum scriptis suis inferere neglexerint. Quò majori jure & plausu hodierna sibi Germania gratulari potest, decora hæctenus ingenia sortita, quæ in ipsius laudibus decantandis & ad posteros transmittendis tota fuerunt. Non parum sanè eo nomine debet suo Eginhardo, Nauclero, Aventino, Cuspiniano, Birckhemero, Jovio, Münstero, Lazio, Matthesio, Goldasto, Cluvero, Schleidano, Peccensteinio, Lehmanno, Besoldo, Lansio, Zeilero, trecentis aliis, qui Pop. Germanici res gestas & urbes & regiones, vel universim vel carptim, ut quæq; memoriâ digna visa, perscripsere. Moverunt me tantorum virorum exempla sanè quam laudanda, ut & ego, licet nec ingenio, nec ætate cum ipsis sim comparandus, vestigiis tamen eorum audacter insistens, pro modulo ingenii mei non quidem laudes totius Germaniæ, sed saltem PATRIÆ MEÆ dulcissimæ, sed WEIS-

SENFELSÆ urbis hujus eximiæ, dicere constituerim. Audentem me facit Pietas in urbem, quam primùm corpore isto pressi, quam pedibus institi, cujus aërem hausi, in qua infantia mea vagiit, pueritia lusit, juvenus exercita hæctenus & educata est; Ubi familiare oculis cælum, flumina, agri, ubi longa serie cognati, amici, sodales, ubi multæ gaudii illecebræ extant. Sed & illud Politicorum monitum aurem vellit, qui patriæ præprimis ortum, patriæ incrementa & decrementa, ejusq; rei causas diligentius investiganda svadent, in patrios ritus, patria statura magis inquirendum, quàm in exoticos, jubent; Derident eos, qui peregrinis tantum capiuntur, domestica despicientes & vel circa incunabula Romæ hærentes, vel in campis Pharsalicis circa conflictus Cæsaris & Pompeji desudantes, vel Orbem novum peragrantes, ejusdemq; regiones, provincias, urbes, oppida, insulas & angulos anxie describentes, quem vero ortum, quæ incrementa natale solum habuerit, prorsus ignorantes; Ingratos eos cum in DEUM Optimum Maximum, tum in patriam almam nutricem, pronunciant, cum bona à DEO & patriâ sibi data agnoscere nolint. Credo, quòd externa, nescio quo fuce se adornant, & plerumq; notis patriæ rebus beatiora videntur. Accessit deniq; jussus eorum, quorum voluntati refragari piaculum semper duxi, jubentium, ut abitum meum ad Musas Salanas altiores tesserâ grati animi obsignarem; Dum ergo conveniens dicendi argumentum, quod invenisse magna est dicentis apud eruditos gloria, ex viro, mihi si non adeo gloriæ, minus tamen dedecori fore visum est, præsentem materiam elegisse, & pauca quædam in laudem patriæ dixisse; Quod dum molior, favete, Viri, & dicturum me benevolè audite. Unde verò, Viri, potissimum auspiciam faciam? quid primum in laudibus WEISSENFELSÆ mihi amatae, mihi æstimatae, dicam? Idem accidere mihi video, quod iis fieri sivevit, qui in figillaria & tabernas pictorias admissi tabulas variè & peritè pictas cum lustrant, quò potissimum aciem oculorum defigant, vix satis nôrunt. Neq; vero Viri circa Natales WEISSENFELSÆ eruendos anxie desudabo, certus quippe, certò non constare, à quo & quo tempore Urbis hujus fundamenta sint jacta; Illud à plerisq; relatum legi, Arcem jam Anno Christi 1090. in loco, ubi nunc AUGUSTO-BURGUM, steterisse, sedemq; Comitum fuisse, urbem verò longo post tempore structam ex pago, cui **Tauchelsh** nomen, origine Vandalicâ, Vandalis hæc loca olim infidentibus. Neque etiam in notatione nominis enodanda prolixus ero, unde WEISSENFELSA nomen sortita sit, scrupulose scrutaturus. Dictam eam aliis scio, vel à terra alba, quam habet ager, vel à pratis, quæ **Weissenfels** quasi **Wiesensfeld** habet abunde, & nî fallor, ultra millia jugera, vel ab incolis, candore suo & candidâ mente undiquaque conspicuis, vel à Petrá albâ, cui arx imposita, & ab albis lapidibus, qui hîc in lapidicinis copiose effodiuntur; Non omnium rerum rationem evidentem dari posse, à voce principali pridem hausi; Nec attingam varias clades, prædas, rapinas, expilationes, deflagrationes & everfiones, quas maximè circa annum Christi 1286. usque ad annum 1306. & 1374. & 1429. & 1449. Urbs hæc est passa. Neque novissimum InCenDIVM **W**eissenfelsense recitabo, ultra nonaginta heheu! ædes partim in urbe, partim in suburbiis devorans; Sed nec illud dicam, Carolum M. Saxonibus devictis, & antiquatis ritibus Ethnicæ superstitionis Comites seu Gravios WEISSENFELSÆ præfecisse, qui primo Comitatum hunc administrationis nudæ titulo, postea jure feudi hereditario ceu patrimonium obtinuerunt, quibus extinctis Otto Mar.

Marchio Misniæ Comitatum feudi itidem titulo accepit, qui tandem Co-
 mitatibus aliis & Dynastiis, utpote *Dronzig / Rüstzig / Teuchern / Burg-*
werben / Seölen / Melsen / Stößen / WEISSENFELSÆ incorporatis,
 Principatus est factus. Sed & illud præteribo, Arcem perpetuam ferè se-
 dem Ducum Saxoniae, maximè AUGUSTI, antequam Electoratum adi-
 ret, & Landgraffi Wilhelmi fuisse; Satis habeo, Viri, dixisse, hanc ipsam
 Urbem & in Misniâ, quam Liberi Cererisq; certamen jure appellabimus,
 sitam, & REVERENDISSIMUM ac SERENISSIMUM PRINCIPEM
 ac DOMINUM, DOMINUM AUGUSTUM, PRIMATEM GERMA-
 NIÆ, DUCEM SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ac MONTIUM, &c.
 i. e. Pium, Orthodoxum, Prudentem, Justum, Clementem, Felicem,
 PRINCIPEM & DOMINUM agnoscere, sub cujus auspiciis ac tutelâ ha-
 ctenus feliciter stat, & melior firmiorq; indies surgit, viris, studiis, juven-
 tute egregiâ florens. Et quidni floreat & crescat, cum & Natura (ut ita
 loqvar) naturans & Natura naturata & AUGUSTI simul Virtus ac
 Fortuna ad formandam & firmandam hanc urbem contendere videan-
 tur? Fateor, & verè non blandè fateor, naturam in Te, O WEISSEN-
 FELSA dulcissima, expertam, ut exemplum produceret amœnitatis ab-
 solutissimæ. Evehant situs ob amœnitatem Ægyptii Alexandriam, lau-
 dent Hispani Nebrissam, Galli Aureliam, Angli Cantuariam, Scoti Ede-
 burgum, Lombardi Veronam, alii alias urbes. Nostra certè WEIS-
 SENFELSA, quod præfiscine dixerim, nec amœnitate nec salubritate
 aëris, aquarum & montium, nec planitierum æqvabilitate terris aliis ce-
 dit; Cœli, quod ipsum felicitati hujus Urbis consentire videtur, mira
 temperies omnes ferè anni partes pari salubritate percurrit, sic, ut Minerva,
 aut, ut Christianè loquamur, DEUS in hac pariter ac in Urbe Athenarum
 extruendâ aëris subtilitatem ingeniis accommodatissimam secutus
 videatur. Rarò hîc pestem & publicam luem sæviisse seniores testantur.
 Præterea & illud compertum, finitimos non semel ob pestem in suis sedi-
 bus grassantem huc commigrasse. Invadebat Anno Christi 1598. pesti-
 lens lues urbem Lipsiam, & in tantum grassabatur, ut Judicium Curiae
 Provincialis Supremæ in WEISSENFELSA habendum esset, ubi aër
 purus & incorruptus manebat. Infidebat eandem urbem pestilentia cir-
 ca Annum Christi 1637. tam valida, ut amplissimus Scabinatus Lipsiensis
 huc transferendus esset; Sed & morbos alios non tam frequentes, nec
 tantâ vi atq; in aliis locis grassari constat. Credo, quòd Urbs non vicina
 est paludibus, nebulas & contagiosos spiritus generare sovetis, & quòd a-
 quæ puræ, limpidæ, gustu sèves, concoctu faciles, & ab omni alieno sa-
 pore imunes sunt. Sala ex fumo montis, cui à pinu nomen est, in Varisco
 propè Münchberg, cacumine excurrens, inde diffusa nostros campos
 alluit. Liquidi itidem ac pellucidi fontes prata circumjecta rigant. Vix
 alibi felicior in gramina terrarum luxuries. Tellus felicibus pascuis & ad
 multas variasq; arbores commoda, solum gignendis uvis uberrimum,
 montes vitibus confiti comœantium oculos pulcherrima viriditate com-
 plent. Hîc arvum cespitibus depurgatum & subactum, illic novale, nunc
 tumulus surgit, mox latus oculorum prospectus, paulò post nemus um-
 brosum occurrit. Privatorum hortos de more patrio perpetuæ fossæ & in
 marginibus arbores sepiunt. Præter alios comœatus, quorum copia regio
 nostra abundat, pomorum, quòq; pyrorum, prunorum & cerasorum in-
 gens modus nascitur. Sic quidè Natura circa mœnia WEISSENFELSÆ

B

ludic

Iudit & blanditur ! Sed nec Ars quicquam intentatum, quicquam omis-
sum reliquit & relinquit, quod vel ad amœnitatem, vel ad dignitatem, vel
utilitatem hujus urbis requiri videbatur. Fundamentum omnis Reip. &
lapidem angularem esse puram, orthodoxam & sinceram religionem,
communis Politicorum calculus pridem comprobavit; Absq; hac mor-
taliū sapientiam larvatam stultitiam esse, iidem passim docent. Repu-
tando hæc SERENISSIMUS AUGUSTUS non aliud magis sibi curæ ef-
se debere credit, quàm Religionis puræ putæ, jam olim à Majoribus suis
Sanctissimis assertæ & fundatæ propagationem. Hæreses hinc in terris
ac ditionibus suis nullas pati, omnes & Clericos & Politicos publico mu-
nere functuros mediante juramento Augustanæ Confessione invariata,
ejusdemq; Apologiæ, & Formulæ Concordiæ alligare, Ecclesiæ Docto-
res magnos, & convocare & liberaliter habere, & eum in finem habere,
ut Religio ab omni errorum labe repurgetur, & civibus inculcetur, &
integra & facta ad natos & natorum natos propagetur, cuncta deniq; ve-
decenter ac ordine in Ecclesia fiant, palmaria AUGUSTI SERENIS-
SIMI est cura. Et sanè, quod non adulandi causa dicam, quoad Ecclesiæ
Oliveto *Olearios* suos præfecit, ad instar Oleæ floruit, vixit, crevit. Pa-
cem certè semper habuit; Nullæ inter Doctores Ecclesiæ rixæ, nullæ dif-
fensiones, nullæ digladiationes fuere; Omnes unum sentiunt, eadem-
mente perfecti. Stat hinc Ecclesia, stant officinæ sapientiæ sedesq; Mu-
sarum, florentes sub *Oleis*, quas felix & divina SERENISSIMI AUGU-
STI manus felici fidere plantavit. Videmus evax! *Oleas* hæc patulas
in ramos & frondes brachiorum more passas, passim Ecclesiis umbram
juxtim & tutelam & decus largiri. Nostra certè Ecclesia multum *Oleis*
hisce debet, sub quarum tegmine hætenus feliciter requiescit. Cæterum
ne quid detrimenti capiat Ecclesia nostra, vel in doctrina, vel in moribus,
utq; cuncta, & quæ sunt ordinis, & quæ sunt Legis Diocesanae, ritè fiant,
Superintendens, quem speculatorem Domus Israël jure dixeris, piè satis
& catè providet. Sic quidem AUGUSTUS Religionis hætenus incre-
menta adauget, ut vel eo nomine AUGUSTI nomen mereatur, nisi in-
vestiturâ per Baptismum id ipsum indeptus esset; Sed & præterea nostra
WEISSENFELSA, quæ gratia DEi singularis est, nostro sub AUGU-
STO augmentum cottidiè suum videt, & quod fore credimus, & vove-
mus, videbit. Urbem Romam Cæsar AUGUSTUS pro imperii Majesta-
te ornare studuit, inundationibus atq; incendiis obnoxiam excoluit, tem-
pla perusta aut vetustate collapsa restauravit, ita ut gloriaretur, se Romam
lateritiam accepisse, marmoream relicturum. Idem ferè de WEISSEN-
FELSA AUGUSTUS dicere, & jure merito dicere potest. Si retrospice-
re, placet, Viri, non anteaucta secula, sed pauca lustra, fatebimini mecum,
& ingenuè fatebimini, aliam longè esse nunc WEISSENFELSÆ faciem,
id est, ædificiis cum publicis tum privatis, porrectis in altum & æquale fa-
stigium, auctam, exornatam, condecoratam, atq; erat, antequam sub di-
tionem AUGUSTI nostri SERENISSIMI veniret. Casæ ubi ante stete-
re, & malè materiatae ædiculæ, ibi non quidem palatia marmorea Cæs.
Aug. & aureas Neronis ædes, ædes tamen justas & decoras, nec nimis
arctas & tenebricosas invenies, lacunis locisq; hiantib⁹ ferè nullibi extan-
tibus. Multæ proh dolor & dedecus! peregrinantibus occurrunt per no-
stram Germaniam urbes, olim heu! florentissimæ, sed nunc & ædibus &
civibus & incolis destitutæ, indies non incrementum sed decrementum fa-

facientes, idq; vel ob bella, vel deflagrationes, vel alias clades publi-
 cas, vel etiam ob magistratum subordinatorum crimina & reperun-
 darum & residui & peculatus & maximè concussionis, quâ cives ad re-
 stitum sæpè & incitas redigunt, ut aliò migrent lare agrisque relictis, quos
 isti ad se rapiunt. Nihil horum DEI & AUGUSTI nostri providentiâ
 augmentum urbis hujus præpedit. Quoniam, Viri, adhuc circa mœnia
 Urbis hæremus, placeat Vobis Petram mecum celsam scandere, & ar-
 cem, cui ab AUGUSTO nomen, mecum paulisper lustrare. Primum
 scilicet, quod DEUS bene vertit & vortat! lapidem, fundamen arcis
 hujus, sanctæ AUGUSTI nostri manus posuere ipsæ, & quidem auspi-
 ce DEO, præviâ concione & precibus, & adjectâ soleñiter Confessione
 Augustana, novaq; monetâ, in cujus unâ facie in nubibus nomen JE-
 HOVAH & JESUS, sed & ARA ARDENS addito lemmate: COELITUS ARDET, MANUSQ; ERECTÆ, iisque juncta verba: IL-
 LINC FIDUCIA, in altera facie, BIBLIA EVOLUTA IN PULPI-
 TO iisque inscripta verba: USQ; AD MORTEM & superadditum Sym-
 bolum: SANCTA TRINITAS MEA HEREDITAS. Cæterum ja-
 cet hæc arx in petra celsâ, non celsam sed subjectam urbem flumenque
 despiciens; Brevibus tumulis in illam ascenditur, verticemque deinde
 ingenti ambitu planities extendit. Ædificium & antiquitatis vestigi-
 is, & recenti artificio & sua mole ac forma quadrangulare spectabile.
 Nil AUGUSTUS aut ad famam, aut ad magnificentiam videtur omi-
 sisse. Tres excelsas contignationes habet & singulas fenestræ justâ
 & eadem magnitudine exornant; ubi vis lucem recipientes. Fastigi-
 um lapide scissili tectum. Interiora Arcis pari artificio & ad munditiem
 aptata, & ad habitantium usum exacta; Solum omnis artificii pavi-
 mentis & tessellatis maximè effulget: Variæ præterea statuarum moles,
 cænacula, repositoria, dormitoria, camini & fornaces, sed & laquearia
 fornicata eam illustant. Templum itidem habet, cujus structurâ nil
 formosius; Turris Arcis præcipua, Horologio affabrè factò nuperrimè
 adornata. Sed tam opulenta pulchritudo nondum ad ultimum venu-
 statis pervenit, reliquis operibus adhuc perficiendis. Operæ pretium
 est, Viri, cum arcem lustravimus in urbis modum ædificatam, visere
 infimul hortum, arcem contingentem, suo situ, suis arboribus & herbis,
 sed & egregiâ & nitidâ domo & sepimentis & pergulis & topiariis com-
 mendabilem. Descensum inde parabimus ad Urbem, ubi in ipso de-
 scensu offendimus duas egregias & ratione ædificatas ædes, itidem bre-
 vi perficiendas. Venimus inde in forum venale, & accessu facile, &
 ad importandas & exportandas res accommodatum, sed & ad præce-
 ptum Aristotelis loca distincta habens, ut scilicet alibi olera, carnes ali-
 bi, alibi pisces, alibi alia vendantur, & ædibus maximè publicis & pri-
 vatorum decorè pariter ac justè ædificatum. Eminent hinc *domus Amba-
 siæ Ducali* destinata, non sine venustate exædificata. Prominet Tem-
 plum ejusque turris, cujus apex noviter admodum inaurato globo con-
 decorabatur. Templum ad monitum Platonis non avarè & fordide
 nec in angulo urbis, sed magnificè exstructum, reditibus ditibus dota-
 tum, suggestu, testudinibus, picturis undiq; exornatum. Non minori
 curâ *Curia* exstructa Templo contermina (ita Plato vult) & reliquæ æ-
 des ad forum sitæ, omnes tres aut duas ad minimum contignationes
 habentes. Si nunc montem, qui Georgio nomen debet, ascendere-
 mus,

mus, si singulas plateas perlustrarem, eas ipsas & ædificiis publicis & privatis, extructas, sed & novas structuras erigendas & reparandas passim videremus. Cæterum, si ulla, Viri, res Urbem commendat, sanè mundities est, cujus Romani tantam habebant rationem, ut Ædilibus inter alia injungerent, id potissimum agerent, ne carnes morticinæ, pelles & id genus alia in publicas vias projicerentur, neu plateæ fimo & oletis fordibusq; replerentur, ne paludes essent & sentinæ cœnosæ, tetras ac venenatas exhalationes spirantes, quò dignitati simul & sanitati civium consuleretur. Jam, si nostram WEISSENFELSAM spectamus, forum mundum, vicos mundos, omnia munda videmus. Progrediamur, Viri, & Templum inferius, cui Cœnobii nomen mansit, paulisper inspiciamus. Collegium hoc quondam sororum Monialium Ordinis S. Claræ fuit, in quo Principum & Nobilium filia educatæ, quibus Abbatisa ex Principum vel Comitum stirpe semper præfuit; Post repurgationem verò Augiæ Romani stabuli vitalitium Viduarum & maximè Sidoniæ Ducissæ Brunovicensis, AUGUSTI ELECTORIS SORORIS inibi mortuæ fuit. Cujus Cœnobii Templum, quòd vetustate erat ruinosum, SERENISSIMUS AUGUSTUS non piè minus quàm magnificè restaurari curat; Diversus longè ab eorum sententiâ, qui vi eminentis domini ædes sacras & usui divino destinatas secularisant, (sit venia verbo) id est ad usus profanos, vel ad bona dominalia augenda, ad agros & hortos multiplicandos, vel ad armamentaria & granaria vel ad eqvilia destinant. Magnum hoc, Viri, pietatis & magnificentia AUGUSTI SERENISSIMI est documentum, sed majus & luculentius est ipsius hujus AUGUSTEI exstructio. Non possum non, Viri paulisper hîc subsistere, & visò Cœnobio AUGUSTEI nostri splendorem venerabundâ mente contemplari. Sunt, ut nostis Viri, Scholæ atq; Gymnasia Reip. seminaria, sunt eqvi instar Trojani, ex quibus heroes omnium artium & scientiarum prodeunt, sunt Musarum sacraria, in quibus scientiarum omnium secreta recluduntur, sunt Collegia doctrinæ & eruditionis, emporia disciplinarum, palestræ virtutum, sine quibus Respublicæ nec consistere nec florere possunt. Non ignorârunt hoc ipsum Imperatores, Reges, Electores, Principes, quos in ditionibus suis & Scholas celebres & Gymnasia & Academias erexisse constat. Florent in vicinia, Erphordiensis, Lipsiensis, Wittenbergensis, Jenensis Academia, sunt per totum orbem celebres Viennensis, Francofurtensis, Colonienfis, Rostochiensis, Heidelbergensis, Gryphis-Waldensis, Tubingensis, Marpurgensis, Regiomontana, Basiliensis, Argentoratensis, Altorphiana, Helmstadiensis, Kiloniensis plures aliæ, sed & egregia Gymnasia, eaq; Academica, fundata passim extant. Floruit heu olim Gymnasium Sedinense, floret etiamnum Gedanense, Bareuthense, innumera alia. Sed & nostrum AUGUSTEVM sub AVGVSTO nostro sua initia & incrementa egregia hætenus vidit. Scilicet noverat AVGVSTVM caput ditiones suas sine tali emporio subsistere adeò benè non posse, igitur præter Scholam Urbis hujus sanè florentem jam año 1664. GYMNASIVM ILLVSTRE introduci & eo loco introduci jussit, qui amœnus & salubris esset, ubi altum securumq; otium nemo appellaret & interpellaret, ubi amicissima semper studiis quies & solitudo foret; Idq; suo potissimum nomine insigniri, quod vel solum juventæ studiosæ ad benè agendum calcar adde-

addere potest. Fateor pacetua, AUGUSTE SERENISSIME, quoties
Iconem Tuam hic appensam religiosis oculis intuemur (intuemur
autem cottidie) toties nos majorem virtutis ardorem in animis nostris
persentiscere. Neq; vero artificiosa pictura & figura, AUGUSTE, tan-
tam in sese vim habet, sed memoria virtutis & rerum à Te gestarum ea
flamma in pectore nobis crescit. Ut adeo vel eo tantum nomine inmen-
sum SERENITATI TUÆ, PATER PATRIÆ, deberemus, nisi be-
neficia beneficiis cumulares, & tum Augustum hoc AUGUSTE-
UM Antistitibus doctrinæ magnitudine & vitæ sanctitate præstantibus
illustrares, cum etiam stipendia inibi studentibus largiter subministra-
res. Minimè diffitemur, paupertatem ut plurimum bonæ & ingentis
mentis esse sororem; Dicitur Studiosus animal semper ferè & ubique
prædicamento passionis subjectum. Vacuum, quod Philosophi nullibi
invenire possunt, regulariter in crumenis Studiosorum reperire licet;
Naturam coguntur imitari, quæ paucis contenta est. Cui in commodo
abunde à Te hætenus, AUGUSTE SERENISSIME, est prospectum.
Nimirum, Viri, multos hic AUGUSTUS alit alumnos & liberali men-
sa & alimentis fovet. Recitarem Vobis, Viri, diploma privilegiorum
partim ipsis Professoribus, partim etiam Studiosis indultorum. Gau-
dent certè privilegiis generalibus, quæ jus Civile Academiis indulget,
gaudent & jure Schriftsaffiorum, ita tamen ut conventi actionibus
personalibus judicem primæ instantiæ Inspectores agnoscant, à quibus
provocatio immediatè fit ad SERENISSIMUM. Sed & si alios conve-
niant, forum quidem Rei, ita fas est, sequuntur, ad evitanda tamen su-
spiciones, & ad maturandam litem AMBACTIÆ Præfectus adjungi-
tur; cæterum causa summarie & velo quod dicitur, levato tractatur.
Præterea Professores & à muneribus personalibus præprimis à metatis
& onere Inqvartationis, sed & ab Accisiis sunt imunes, deniq; jure po-
tus liberi pro usu suæ familiæ gaudent. Ostenderem Vobis purpureum
galerum & Pallium, quæis Rector AUGUSTEI ILLUSTRIS superbit.
Monstarem Sigillum & Insigne AUGUSTEI, effigiem Viri in manu
librum tenentis; Dicerem innumera alia, nisi ea omnia vel me silente
abundè nota forent, cæterum ad majora mihi festinandum foret. Scili-
cet Dicafterium Illustre in propinquo video, jam año Christi 1666. Ha-
lis Saxonum huc translatum. Erat, Viri, Areopagus Atheniensium
propè templum extructus Dearum, quæ severæ appellabantur, eâ de
causa, ut monerentur Areopagitæ, severitatis, cum clementia tamen
temperatæ, in delictis puniendis adhibendæ. Est & tribunal hocce pro-
pè templum, ut illustres ejusdem Assessores discant justitiam moniti,
nec DEum vindicem scelerum temnant. Hic verò Viri, prudentiam
prius tantorum Virorum, an verò justitiam mirer & celebrem, in incer-
tum habeo. Verè non blandè dixero, si vos justitiæ Mystas dixero, qui
justitiam colitis, & boni & æqui notitiam profitemini, qui æquum ab ini-
quo separatis, licitum ab illicito discernitis, bonos non solum metu pœ-
narum sed & præmiorum exhortatione efficere cupitis, veram non si-
mulatam Philosophiam affectantes. Jam si singulorum elogia verbis
exequi constituerem, si Tuam, Magnifice Vice-Cancellarie FREY-
STEINI, catam consulendi perspicaciam, si multiplicem illustris ab
HELLDORF eruditionem, si magnum & candidum Generosi de POSERN
judicium, si diuturno rerum usu nactam peritiam egregiam Generosi
de

de MARSCHAL, si sinceram prudentiam Nobilissimi SCHÜZII, si mentem & à doctrina & usu factã Consultissimi HEIDENREICHII, si variam & politam Generosi de BIESENROD scientiam pluribus de- laudare vellem, id verò esset incipere & nunquam desinere. Satius pu- to tacere quàm pauca dicere, satius sit eo ipso splendorem & majesta- tem Tribunalis hujus evincere, quod justitiæ æqvabilis lancem non immeritò dixeris. Cato Censorius Forum Romanum acutis lapidibus sternendum curavit, neu populus litibus asvesceret. Dicasterium illu- stre acutis hisce lapidibus opus non habet, cum alia remedia petulan- tiam temerè litigantium compescendi habeat, frivolas & sterilissimas lites vel rejiciendo vel crudas adhuc surgentesq; in ipsa herba suffocan- do, vel etiam partes ad concordiam compellendo, maxumè ubi metus scandali adest. Egregiè me CHRISTE! & pro usu Reip. nostræ. Quod de bello quidam dicebat, id de litibus verius dicere possum, nullas nem- pe esse justas, nisi quæ sint necessariæ. Mutuum eas civium amorem tollere, rancorem animorum gignere, crumenas exhaurire, sursum de- orsum cuncta miscere, innumera alia mala Reip. invehere videmus. Sine litibus vivere, partem esse beatæ vitæ Martialis ait, lites flagel- la DEI esse, litibus ex ditibus reddi pauperes, ex pauperibus mendicos, exempla passim obvia docent. Et cui quæso usui sunt lites istæ & variæ contentiones eorum, qui vel ob sangvinis propinquitatem, vel ob alios nexus concorditer & mellitissimè invicem vivere & possunt & debent? Rara hinc, ne quid diffimulem, inter privatos litigia in nostra urbe au- dies, maxumè injuriarum, ob causas sæpe ne titivilitio quidem dignas, alibi locorum suborientia, sedesq; infamantia. Sileo amplissimum Con- cilium Inspectorum Augusti AUGUSTEI Civibus jus reddens; Prætereo judicium AMBACTIÆ Ducalis, Ambtsassis & suburbicis jus dicens. Taceo Curiam, & Præturam, in quibus Senatus & Prætor Urbanus controversias civium intra mœnia & continentia urbis de- gentium minuunt. Ut adeò Civitatem nostram foris & judiciis benè constitutam meritò dicere liceat. Vidimus hætenus, Viri, ædificia Ur- bis nostræ, cum publica tum privata, vidimus Dicasteria & judicia, sed celeri oculo & per transfennam quasi vidimus. Nunc civium & incola- rum indolem & genium lustrâsse operæ pretium erit. Si maxumè Ro- ma Tullios & Catones habeat, aderunt tamen semper Grachi, Catili- næ, Clodii, Antonii, rebus novis studentes, seditionibus civitatem exa- gitantes, inter concordantes odia struentes, divina & humana permi- scentes, Remp. universam perturbantes. Athenienses suos cives sin- gulis annis lustrabant, & singulos rationem reddere cogebant, quâ arte victum sibi suisq; compararent. Si nos, Viri, Civium lustrationem insti- tueremus, non Judæos, ut in aliis Rebus. non Dardanarios, non Dire- ctarios & Saccularios, non thori alieni subseffores, non hæreticos, non Papicolas, non Calvinianos, non Rabulas, non Polypragmones, non usurarios pravos, non calumniarum artifices, & mendaciorum instito- res, non contumaces, non oriosos, sed Viros & Cives bonos (rara hæc copula) inveniremus, pios in DEum, pios in patriam, pios in prox- imum, Lutheranae religioni deditos, vivaci lepiditate, exactâ urbanita- te, prisco habitu, simplicitate antiqvâ, integritate vitæ insignes, sed & maxumam partem, quæ pars est felicitatis Reip. non minima, literatos. Habet illustre Dicasterium sua Lumina illustria, superius memorata, suos

suos itidem Secretarios & crenâ & venâ insignes; Habet Ecclesia suos
 Doctores & vitâ & præceptis optimos, habet AUGUSTEUM suos In-
 spectores & Professores, Viros doctrinæ & eruditionis edecumata, &
 voce & exemplo docentes, sed & Ærario Præfectum & Actuarium
 eruditos non minus ac fidos, habet Ducalis AMBACTIA Præfectum
 suum & Actuarium juris & æqui servantissimos, habet Gvidagiorum
 & Pedagogiorum Præfectura Præfectum, Virum & eruditionis & solertiæ
 & fidei in PRINCIPEM eximia pariter ac notæ, habet Curia suos Con-
 sules, Directorem Ærarii, Prætores, Senatores & Poligraphum de Rep.
 bene meritos & merentes civitatisq; dignitatem & decus sustinentes,
 habet & Schola Senatoria suos Moderatores & Præceptores omnes
 puritate fidei & vitæ insignes & omni sapientia instructos. Sunt præ-
 terea Jcti & Advocati hujus loci eximii, sunt & Medici experientissimi,
 DD. omnes Academici, sunt tres Pharmacopæi, sunt duo Bibliopolæ,
 est unus Typographus, isq; ob typos suos certè egregios, nec ubivis
 taliter inveniendos celebris: sunt & plures alii mechanici liberales &
 illiberales, non minuma Civitatis benè ordinatæ omina & nomina. Sic
 quidem Sexus Masculinum. Sed nec Fœmininum à laude sua cessat. Et
 modesto sua sponte animo, & fronte liberali sed verecundâ, & pudici-
 tiæ pudore & modico & honesto cultu, munditiâ non sumptuosa, nec
 nimis exquisitâ, fœminæ pariter & virgines & virgunculæ præcellunt.
 Non legibus vestiariis coactæ, sed sua sponte cultu parabili simul & a-
 mabili contentæ. Publicatæ pudicitia etiam in vilioribus rara exem-
 pla, sed & nulla venia, pœnitentiæ Ecclesiasticæ pœna (si modo pœna
 dicenda) ad minimum insequente. Livias hinc & Sulpitias, Porcias &
 Aspicias, Lucretias & Cornelias, Clœlias & Lavinias sed Christianas
 hîc invenies. Deducerem nunc vos Viri, in theatra, prospectu & sedili-
 bus comoda, in quibus Gymnastica exercitia publica quotannis haben-
 tur, eloquentia comica & actiones theatrales studiosæ juventuti per lu-
 dum quasi inculcantur; Ducerem vos in ædes receptioni pedagogiorum
 destinatas, sanguine Gustavi Adolphi, Svecorum Regis potentissimi,
 pro aris focusq; nostris in agro Luzenensi fortiter fuso nobilitatas. Duce-
 rem Vos in palæstram, ubi cives annuatim gymnasmata sua sclopetaria
 habere solent; Irem & Vobiscum in Xenodochia pro pauperibus,
 & Nosocomia pro ægris piè satis extracta. Irem & in Cœmeteria & mor-
 tuorum dormitoria decenter adornata. Perlustrarem diversoria carris
 carrucis plaustrisq; comœantium nunquam non repleta, cum Via regia
 seu militaris per hanc Urbem detur. Lustrarem calcatoria laterib⁹ exco-
 quendis, domos braxandæ, seu ut latinè magis loquar, coquendæ cere-
 visia destinatas, molendina, cisternas, horologia, belli regiminis bella
 indicia, lustrarẽ portas, claustra sua, valvas atq; repagula habentes, bal-
 nea, cellas, pontes & fontes, sed & fodinas cœmentarias extra Urbem,
 alia omnia, quæ ad Urbis vel salubritatem vel dignitatem, vel utilitatem
 non parum faciunt, & sine quibus civitas nec esse nec benè esse potest.
 Laudarem præterea vilitatem annonæ, & eorum, quæ ad alimoniam
 hominum & pecorum terra largiter præbet, vina maxumè generosa,
 nobilia, pura pura, & domestica & exotica, vili pretio comparanda;
 Deprædicarem cerevisiam cum eam, quæ hîc coquitur, tum eam, quæ
 aliunde advehitur, sapidam potu simul & salubrem. Celebrarem pi-
 sces varios, fundulos, cyprinos, mullos barbatos & maximè salmones
 fluvi-

Frage 1668

fluviatiles, quibus WEISSENFELSA præ cæteris superbit. Laudarem carnes ferinas, sed & attagenes, perdices, turtures, turdos; Laudarem legumina, butyrum, lac, caseos, mitia itidem poma, nuces, uvas, pruna, cerasa, pyra, irritamenta gulæ sexcenta alia, nisi hæc ipsa Vobis Viri, abunde nota forent, quippe qui hæc ipsa munera DEi inoblita, semper & gratâ mente veneramini. Prorsus vestigia DEi stillant hîc meram pinguedinem, & DEus annum bonitate sua coronat. Memorarem deniq; privilegia Civitum, & in iis præprimis immunitatem à vectigalibus & teloniis per Electoratum & Ducatus Saxoniae, allegarem Piscatorum jus piscandi sanè quam pingue, in Sala usq; ad pontem Gefnizensem & ad castrum Giebichenstein sese extendens; Dicerem innumera alia urbis blandimenta à fortuna inventa, quibus adventantium studia capiuntur, nisi mensura effluentis sabuli, pausam ut facerem, memet moneret. Hæc Viri, facies est WEISSENFELSÆ, hæc Urbis imago, quam levi Orationis penicillo adumbrare pietas in patriam iussit. Jubet hæc eadem, ut antequam hinc abeam, ad aram AUGUSTI hujus AUGUSTEI in defectu tauri molas substituam, sed igne devotionis accendendas: id est, ut crassiore Minervâ loquar, grates simul & Vale Vobis dicam. Vestigia legam discipuli illius JESU, qui jam à charissimis Parentibus & suavissimis amicis abiturus, & Præceptorem & Magistrum doctissimum & sapientissimum secuturus, nec non pietatis & eruditionis fundamenta in Academia JESU jacturus dicebat: Sequarte Domine, sed permitte mihi prius, ut dicam Vale iis, qui sunt domi meæ; Paria & ego facturus pace vestra Viri VALE terque quaterq; ingeminabo. Fas equidem hic foret, REVERENDISSIME Ac SERENISSIME AUGUSTE, PRINCEPS Ac DOMINE CLEMENTISSIME (ne radius mihi invide, qui adorabundus Te compello) ut antequam è rostris his discedam, publicè gratiam Tuam & in Parentem meum & in me immerentem hæctenus effusam, fusa Oratione & grata mente venerarer. Verum enim verò, cum id ex merito à me fieri posse planè desperem, satis habeo beneficiis tantis, si non gratiam, saltem confessionem publicam posuisse. Cæterum VALE AUGUSTUM CAPUT, VALEAT UNIVERSA DOMUS TUA SERENISSIMA, VALEAT COSTA AUGUSTA, VALEANT PRINCIPES, Hæredes Virtutum Tuarum ex asse, TE Tanto Genitore digni! VALETE & vel Sybillæ ævum superstites manete! Præterea VALEAT Illustre Dicastrium hujus loci, VALETE & Vos ejusdem Ornamenta Summa; VALEAT Ecclesia, Vosq; ejusdem Doctores & Mystæ venerandi; VALEAT AUGUSTEUM ILLUSTRÉ, Vosqve ejusdem Inspectores & Professores spectabiles, VALETE & DEUM Remuneratorem Vestrorum in me collatorum beneficiorum fore certissimum credite; VALEANT cætera judicia & AMBACTIÆ & Præfecturæ Gvidagiorum; VALEAT Curia, VALEAT Schola, VALEAT Civitas universa, VALETE deniq; & Vos Studiosi, Commilites mihi semper luce magis amati, mihi amandi, VALETE, VALETE, & mei dememinisse nolite!

D I X I.



V017



la-
la-
as,
bis
a,
nic
no-
ve-
em
ef-
in-
tri-
m,
bis
uf-
U-
e,
fi-
qvi
ce-
nec
di-
iis,
er-
IS-
ME
e,
u-
ru-
ex
s, fi
A-
US
E-
nto
e!
Vos
Do-
RE,
&
um
IÆ
a,
m-
A-

ULB Halle 3
002 376 784






F. H. 25, 4

Shrey nra

Ye
1668

CELSA. NON. CELSA.



WEISSENFEEL

S A.

SUB. MODERATA

CHRISTIANI.

P. P.

DICENTE. ET. VALE

IN. AUGUSTO

AUGUSTO

AD. D. XI. NOV

A. O. R. M. DC.



CHRISTIANO. FRIDERICO

WEISSENF. M

WEISSENFEEL

Literis. JOHANNIS. BRÜHLII

